habere ceperunt ad ministrande
rei publice. Post dauid qui etiam
ipse xl regnauit annos
filius eius salomon rex is-
rahelitarum fuit qui templum
illud nobilissimum dei ierosoli-
mitanum condidit. Cuius tempore apud
latinos condita est alba. Ex
qua deinceps non latinorum
sed albanorum reges appel-
lari in eodem tamen latio ce-
perunt. Salomoni succes-
sit filius eius roboam sub
quo in duo regna populus
ille diuisus est et singule
partes suos singulos reges
habere ceperunt. xxi.

Latium post eneam quem
deum fecerant undecim
reges habuit quorum nullus
deus factus est. Aduentinus
autem qui duodecimo loco
enee successit cum esset prostratus in
bello et sepultus in eo monte
qui etiam nunc eius nomine
nuncupatur deorum talium qua-
les sibi faciebant numero est ad-
ditus. Alii sane noluerunt
eum in prelio scribere occisum
sed non comparuisse dixe-
runt nec ex eius uocabulo
appellatum montem sed ex ad-
uentu auium dictum aduen-
tinum. Post hunc non est factus deus
in latio nisi romulus condi-
tor rome. Inter istum autem
et illum reges reperiuntur duo
quorum primus est ut eum
uirgiliano uersu eloquar:
Proximus ille procas troiane
gloria gentis. Cuius tempore
quia iam quodam modo roma
parturiebatur illud regnorum
maximum assyriorum finem tan-
te diuturnitatis accepit. Ad
medos quippe translatum est post
annos ferme mille trecen-
tos quinque ut etiam beli qui ninum
genuit et illic paruo con-
tentus imperio primus rex fuit
tempora computentur. Procas
autem regnauit ante amulium.
Porro amulius fratris sui nu-
mitoris filiam ream nomine
que etiam ilia uocabatur ro-
muli matrem uestalem uirginem
fecerat quam uolunt de marte
geminos concepisse isto modo
stuprum eius honorantes uel
excusantes et adhibentes ar-
gumentum quod infantes expositos
lupa nutrierit. Hoc enim genus
bestie ad martem existimant
pertinere. Ut uidelicet lupa
ideo credatur admouisse ube-
ra paruulis quia filios domini
sui martis agnouit. Quamuis
non nulli defuerint qui dicant
cum expositi uagientes iacerent
a nescio qua meretrice primum
fuisse collectos et primas eius
suxisse mamillas. Meretri-
ces autem lupas uocabant unde
etiam nunc turpia loca earum
lupanaria nuncupantur. Et eos
postea ad faustulum peruenisse
pastorem atque ab eius acca
uxore nutritos fuisse. Si ad
arguendum hominem regem qui eos
in aquam proici crudeliter iusserat

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. AA 90.24, 4r – Augustinus, De civitate Dei
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-xfjo/5308/50435)